De materia prima.

1. Omne corpus constat materia et forma secundum scholasticos. Est autem materia subiectum mutationum, quae in corporibus fiunt sive sint per motum locale sive per motum intrinsecum. Cum vero omnia corpora huiusmodi mutationes patiantur, eorum causam materialem seu primum substratum seu primum subiectum phisicum vel primam causam materialem vocabant scholastici materiam primam.

2. Haec materia prima in omnibus corporibus sublunaribus una eademque est, in quo consentiunt thomistae cum scottistis et recencioribus. Suarez: „Dicendum ergo est, primam materiam seu materialem causam omnium sublunarium esse tantum unam. x Quae est communis sententia omnium philosophorum etc. .... + Omnis forma rei generabilis cuiuscunque speciei potest introduci in quamcunque partem huius materiae, si commode disponatur: Ergo signum est, materiam hanc secundum se esse unam et eiusdem rationis et sufficientem in suo genere ad causandos omnes effectus, qui in his possunt sufficienter causari, si aliae causae

aliis generibus necessariae applicentur sese concurrant." Disp. meta. XIII sec. 2.

3.– Dices, subiecta omnium mutationum secundum scholasticos esse quattuor elementa, quae neque unum sunt et inter se numero et specie differunt. Respondeo elementa esse subiecta proxima et secunda, materiam vero, quae in omnibus elementis una est subiectum primum et remotum. Albertus Magnus: "Nos autem dicimus, esse aliam ab elementis aliquam materiam unam quattuor corporum sensibilium; sed dicimus, hanc non esse actu separatam ab elementis simul, sed divisim separatur modo ab uno modo ab alio et est semper cum contrarietate et ex illa sicut ex materia generantur corpora, quae vocantur elementata." (De gen. e. corp. l. II trac. 1 c. 4). –

4.– Quaeritur, utrum materia prima sit necne aliquod corpus seu aliqua substantia vel essentia substantialis completa et integra? Res est integra atque perfecta, cum in se habet omnia, quae requiruntur, tum ad perfectionem sui esse, tum ad operationem naturae

Est autem de ratione substantiae, ut ipse subsistat, quae subsistentia, si ipsi competit independenter ab alio (angelus, anima humana) erit substantia completa in ratione substantiae se subsistentiae. Si praeterea eadem substantia nulla re indiget ad operandum secundum propriam naturam, erit substantia completa in ratione speciei (angelus), secus erit substantia incompleta in ratione speciei, quamvis completa sit in ratione subsistentiae. Erit ergo substantia incompleta, nedum in ratione speciei, sed etiam in ratione subsistentiae illa, quae quamvis accidens non sit, alio tamen indiget ad existendum (animae brutorum, quae reductive dicuntur substantiae, non quasi sunt reductiones substantiae, sed quia non sub genere accidentium, sed sub genere substantiae coordinantur, quamvis per se neque genus sint neque species, sed quatenus uniuntur cum alio; per se non subsistunt, sed alio indigent, non ut subiecto inhaerentiae, sed ut subiecto coexistentiae). Zigliara, conc. viense p. 6.

5.— Operatio sequitur esse. Si substantia nequit ex se sola subiective ponere operationem, signum est, quod ex se non est potens esse; si autem ex se sola est quidem potens subiective agere, sed materiam seu obiectum, in quod agit ab alio naturaliter indiget habere (anima nostra) talis substantia erit potens ex se agere subiective, non autem obiective, et ideo est substantia completa in ratione subsistentiae, incompleta in ratione speciei. Denique si naturaliter substantia potens est tum subiective tum obiective agere erit substantia completa utroque modo. (Zigliara p. 6.) —

6.— Erit igitur materia prima substantia incompleta in essentia seu specie substantiae. Neque in se spectata erit substantia composita ex substantiali potentia et aliqua forma substantiali incompleta et quasi generica. Ita communiter omnes, qui negant contra Avicennam in eodem composito inesse plures formas substantiales. Pauci, qui contrarium tenent, volunt materiam primam esse quid compositum seu habens for

qua materia ipsa constituitur non quidem non esse specifico substantia, sed solummodo esse generico. Quae duo manifeste pugnant, nam etiamsi in ordine logico genus a specie distinguatur, in ordine reali solum esse non potest. Neque scotistae excipiuntur. Scotus enim in rebus corporeis cum Thomistis sentit, solummodo in viventibus praeter animam formam corporeitatis admittit. (IV dist. 11. quae. 3 art. 2.) Quam formam corporeitatis Henricus Gadavensis ad solos homines restringit (quodlib. I quae. 2, 3.
(quodlib. III quaes. 13, 14).
Neuter tamen vult hanc formam corporeitatis esse inseparabilem a materia; proinde etiam apud illos materia prima non est quid compositum. Tandem Suarez dicit, multos ex modernis philosophis ponere in materia prima formam corporeitatis illi coaevam et inseparabilem. Cuius opinionis fundamentum videtur idem fuisse, quod Scoti et Henrici: subiectum generationis debet esse corporeum et extensum, quod esse nequit sine aliqua forma substantiali. Putabant tamen, formam istam substan-

tialem et essevam, quamvis inseparabilem tamen realiter distingui a materia prima;, proinde materiam primam in se acceptam non considerabant uti aliquam substantiam compositam.—

7— Quaeritur, utrum materia prima habeat necne aliquam entitatem? respondent scholastici affirmative. Esse enim partem realem et habere aliquam entitatem idem est, materia autem est pars realis et physica compositi, cuius altera pars est forma substantialis. Rafael Ripa: materia habet propriam essentiam distinctam a forma, quare forma est ei extrinseca: illa tamen materiae essentia habitudinem dicit essentialem ad actum seu ad formam, habitudinem inquam non relationis praedicamentalis, sed transcendentalis.—

Bañez: Materia est vera substantia incompleta. Materia est prior substantia incompleta. Est ens reale, siquidem subiectum est transmutationis realis sc. generationis, et non est accidens in alio subiecto, siquidem est primum subiectum. Ergo est substantia. Nulla substantia componitur ex non substantiali.—

De potentialitate materiae.

1) Potentia dicitur vel obiective vel subiective seu passive. Potentia obiective est non repugnantia terminorum seu possibilitas ad existendum. Haec extra mentem realiter non existit. Potentia subiectiva est facultas recipiendi aliquid, quae etiam extra mentem existit. —

wyciągi z Ramière p. 23.

2) Potentia est in ordine ad actum. Actus duplex est sive essentiae sive existentiae. Per actum essentiae constituitur res sub determinato essendi modo et in determinata specie. Ex. g. rationalitas est actus essentiae hominis. Per actum vero existentiae essentia ponitur extra virtutem causae suae, hoc est transfertur ex ordine ideali ad ordinem realem. —

3) Carebit actu essentiae ex se potentia ea, quae ex se ad nullum essendi modum, ad nullam speciem determinatur. Actu existentiae ex se carebit potentia ea, quae ex se sola formaliter non est extra causam et nihilum. Secundum Thomistas materia prima ex se est pura potentia, quatenus ex se neque actum essentiae habet neque existentiae.

Est tamen physicum quid et reale.
Suarez: „Haec sententia videtur esse D. Thomae, ubi ait materiam primam ex se esse tantum in potentia et ideo non posse creari nisi sub forma" (P. I. qu. 44. ar. 3 cf. ibid. qu. 45 ar. 4; qu. 66 ar. 1). Ita fere omnes Thomistae exceptis nonnullis, qui volunt omnem differentiam esse actum metaphysicum seu potius logicum, unde materiae primae actum essentialem concedunt. Qui tamen magis voce, quam re a communi sententia discedunt. Ita Goudin in physica, P. I dis. 1 qu. 2 ar. 2.
– St. Bonaventura: „materia omnino est ens in potentia, ideo per sui essentiam nullam habet actum, nullam formam."
Idem: Materia secundum sui essentiam est informis per possibilitatem omnimodam et dum sic consideratur, formarum ipsa capacitas sive possibilitas est sibi pro forma.
Idem: Secundum quod habet esse in natura, non solummodo non congruit imo etiam impossibile est, materiam informam existere per privationem omnis formae.

4) Videtur contradicere Suarez, qui haec habet: „materia prima ex se et non intrinsece a forma habet suam entitatem actualem essentiae, quamvis non habeat illam, nisi cum intrinseca habitudine ad formam." Animadvertit Tigliara: Suarezium non semel se constituere thomistarum adversarium et postea non re, sed verbis ab eorum conclusionibus dissentire (p. 14.) Addit Tigliara: rei essentiam et consequenter actum essentiae id esse, per quod res in specie ordinatur vel in genere. (St. Thomas de ente et essentia cap. 2.) Atqui materia prima non habet ex se formam aliquam, unde constituatur in aliqua specie vel genere. Ergo materia ex se non est essentia, sed pars essentiae. —

5) St. Thomas de ente et essentia cap. 2: In substantiis compositis non potest dici, quod alterum eorum tantum essentia dicatur. Quod enim materia sola non sit essentia, planum est, quia res per suam essentiam cognoscibilis est et in specie ordinato vel genere: materia autem non est cognitionis principium nec secundum eam aliquid ad speciem vel ad genus determinatur,

sed secundum id solum, quo in actu aliquid est. Neque etiam forma tantum substantiae compositae essentia dici potest, quamvis quidem hoc asserere conentur. Ex his, quae dicta sunt patet quod essentia est id, quod per definitionem rei significatur; definitio autem substantiarum naturalium non tantum formam, sed materiam continet, aliter enim definitiones naturales et mathematicae non differrent.
Idem ibid. cap. 5: nec forma substantialis completam essentiam habet nec materia.

6/ – Idem dicendum est de actu existentiae. Existentia competit essentiis. In compositis materia non est essentia, sed essentiae pars, ergo materia non competit proprie esse seu existentiae. –
St. Thomas contra gentiles L. II cap. 54: „ipsum esse non est proprius actus materiae seu substantiae totius, cuius enim actus est esse, de quo possumus dicere, quod sit; esse autem non dicitur de materia, sed de toto. Unde materia non potest dici, quod est, sed ipsa substantia est id, quod est. —

7 – Materia prima definitur realis entitas substantialis, quae non est

quid nec quale nec quantum, sed est subiectum, ex quo fiunt res corporeae. Non est quale nec quantum, nam his vocabulis designantur accidentia, materia vero prima non est in genere accidentium. Neque tamen est ~~entitas~~ essentia substantialis completa in specie, unde negatur esse quid.

De forma substantiali.

1.– Forma definitur id, quod rem determinat ad certum essendi modum (Goudin, phisc. par I dis. 1 qu. 3. at. 1.) Dicitur entelechia id est perfectio, quia perfectio fit per formam, sicut capacitas formationis est per materiam. Dicitur actus, quia rem constituit actu in ratione talis entis. Dicitur species, quia rem constituit in propria specie.–

2.– Alia forma est extrinseca, alia intrinseca. Extrinseca est forma rei praeter rem et extra rem existens, ad cuius similitudinem aliquid fit. (idea domus in mente architecti). Forma intrinseca determinat rem ad certum essendi modum, non imitatione sui, sed communicatione suae entitatis.–

3.– Forma intrinseca est vel subsistens, cum potest ex se ipsa, sine consortio subiecti existere. (Angelus, anima humana). Forma non subsistens non potest sola ex se ipsa existere, sed indiget subiecto, cui uniatur (anima brutorum).–

4.– Formae subsistentes vel sunt informantes, quando alteri subiecto communicant proprium esse illudque specificant. Formae non informantes ex natura sua nunquam uniuntur subiecto; si vero forte uniantur dicuntur assistentes (nauta in nave.).

Formae non subsistentes semper sunt informantes. —

5.– Formae informantes vel sunt substantiales vel accidentales. Hae supponunt subiectum constitutum in suo esse specifico neque ei conferunt esse simpliciter, sed tantum secundum quid. Illae dant esse simpliciter sive specificum, per quod subiectum constituitur in specie determinata. —

6.– Duo igitur requiruntur ad formam substantialem, 1º ut forma sit principium essendi substantialiter ei, cuius est forma: principium non effectivum, sed formale, 2º ut forma et materia conveniant in uno esse.

7.– Forma metaphysica sive actus metaphysicus est quidem pars subiecti, sed non est pars physice distincta (humanitas). Forma logica dicitur de Differentia, qua in ordine logico ordinamus conceptus nostros in genera, species et differentias et qua genus trahitur ad esse specificum (rationalitas). —

~ De unitate substantiali. ~

1.– Substantia et accidens uniuntur per accidens. St. Thomas: Ex accidente et subiecto non fit unum per se, sed unum per accidens (de ente et essentia cap. 7). Ratio est, quia accidens non dat subiecto esse primum, sed esse tale, sine quo essentia eius optime potest intelligi.–

2.– Alia est unio substantialis, quae habetur, quando duae substantiae in unum coniunguntur, quin tamen illud unum sit substantiale quid alterutri substantiae, sed quid accidentale (homo indutus veste, civitas constat domibus, exercitus militibus). Tum fit unum secundum ordinem (civitas, exercitus) vel unum secundum ordinem et compositionem (aedificium). St. Thomas: Hi duo modi non competunt ad constitutionem unius naturae ex pluribus; Ea igitur, quorum forma est ordo vel compositio, non sunt res naturales, ut sic eorum unitas possit dici unitas naturae (cotr. gentes L. IV cap. 35. n. 3).–

3– Erit igitur unio substantialis inter duas vel pluras substantias, neque sufficit qualiscumque substantiarum unio, sed requiritur, ut ex duabus (vel pluribus) unum fiat

substantia unumque esse, quod neq-
tri unitarum substantiarum sepa-
ratim conveniat, sed ad compositum
pertinet, cuius substantiae sunt partes.
St. Thomas: substantia dupliciter dicitur,
uno modo pro essentia sive natura,
alio modo pro supposito vel suppositione
(P. III qu. 2 art. 6 ad 3.) —

-4.— Nulla ex partibus, quae physice
concurrunt ad unitatem substan-
tialem habet essentiam completam
seu specificam, aliter non haberetur
unitas, sed dualitas essentiarum.
Czacki: „unitas humanae naturae
duabus constat partibus alii substan-
tiis (epis: ad rectorem universitatis
insulensis). St. Thom: nunquam in-
venitur ex duabus naturis manentibus
fieri unam, eo quod qualibet na-
tura est quoddam totum; ea vero, ex
quibus aliquid constituitur cadunt
in rationem partis. Unde cum ex
anima et corpore fiat unum, neque
corpus, neque anima natura dici
potest, sicut nunc loquimur de
natura (= essentia), quia neutrum
habet speciem completam, sed utrum-
que est pars unius naturae completae
(contr. gentiles L. IV cap 35 n. 4).

5. — Falso quis assereret unitatem substantialem convenire ex solo ordine vel exigentia naturali, quam una substantia habet ad alteram. Quod verum est, si addatur utramque substantiam incompletam esse in specie sua unamque trahi in communionem esse alterius. Sed tum idem affirmatur, quod posuimus sub numero praecedenti. Falsum est si putet quis utramque vel alterutram substantiam addere in se et a se quidquid requiritur ad essentiam specificam neque unam trahi ad communem communionem esse alterius. Habetur tum ad summum unitas accidentalis vel exigentia perfectionis accidentalis. Ipse Scotus quoad unitatem substantialem rerum inorganicarum St. Thomam sequitur, quoad animata concedit corpus, quod ab anima informatur non esse in ulla specie, sed solum in genere. Quam sententiam refutat Suarezius. —

6. — Quando ex duabus substantiis partialibus una resultat natura seu essentia specifica debet unum esse principium specificativum,

altera specificata, una determinabilis pro specie, altera determinans, una potentialis seu potentia passiva altera actualis seu actus, una forma physica, altera physicum subiectum.

17.

De accidentibus in composito.

Homine mortuo, cadaver idem manet in quantitate reliquisque accidentibus. At non erit idem, admissa forma cadaverisa, immo erit numero et specie distinctum a corpore vivo. Unde dicunt: corpus vivum habere propriam suam formam substantialem, a qua non vero ab anima proficiscuntur accidentia, quae in cadavere remanent. Qua in re duo sunt distinguenda 1) unitas, forma substantialis, 2) causa accidentium materialium. —

2. — Primum accidens substantiae corporeae est quantitas, immediatum subiectum reliquorum accidentium. De qua tres existunt sententiae (Suarez disp. metaphac. XIV sec. 3 § 5.) —

3. — Prima sententia negat materiam ex se sufficientem esse ad causandum accidens materiale. Causat ea quidem diversa accidentia in primis quantitatem (extensionem), quae non a forma, sed a materia est (St Thom), habet tamen opus, ut prius coniugatus formae substantiali. Sunt enim accidentia formae quaedam seu actus, praesupponentes

subiectum actu constitutum, cui accidant. At materia prima non habet esse actum essendi, sed a forma, unde neque esse potest causare quantitatem. Hanc sententiam dicit Suarez communem inter thomistas, tribuentes eam Aristoteli.—

materialem? p. 33.

4.— Altera sententia contradictoria est, affirmans materiam primam ex vi suae entitatis esse sufficientem causam formarum accidentalium, primo quidem quantitatem atque ea mediante reliquarum. Habet enim materia prima propriam entitatem actualem et propriam subsistentiam partialem, ergo potest esse et sustentare et causare materialiter quantitatem. Altera ratio: In cadavere manent eadem accidentia corporalia quae erant in homine vivo, atqui difficile est persuasu, nonnisi specie eadem esse, re tamen vera diversa numero. Ergo supposita unitate formae substantialis dici debet, quod accidentium in cadavere remanentia causa materialis et subiectum est materia prima.—

Sequitur de accidentibus in composito.

5.— Suarez hac in re quatuor distinguit quaestiones:

1) An sola materia prima ratione proprii subiecti et causae materialis possit determinare dependentiam formae accidentalis ita, ut quantitas proxime et adaequate inhaereat soli materiae, etiamsi forma substantialis necessaria sit adesse materiae, quin tamen concurrat ad esse formae accidentalis in ratione subiecti vel causae materialis.—

2) Si quantitas inhaeret materiae modo praedicto, quaeritur an inde sequatur, ut quantitas sit coaeva materiae maneatque numero eadem ingenito et corrupto.—

3) An in aliquo genere causae forma dici possit uniri prius materiae, quam accidentia?—

4) Dato quod quantitas possit soli materiae inhaerere, quaeritur, si forma substantialis est materialis et extensa, an quantitas inhaereat immediate et per se toti composito ita, ut attingat proxime utramque compositi partem.—

6.- Respondet ad primum: Rationes alterius opinionis sufficienter convincunt materiam esse posse proprium subjectum, cui soli inhaeret quantitas, quamvis non extra compositum substantiale, scilicet materia est subjectum inhaesionis, compositum vero subiectum denominationis vel compositum recipit quantitatem, ratio vero, cur recipiat, est penes solam materiam. Hanc conclusionem esse auctorum secundae sententiae neque esse contrariam auctoribus primae. Unum excipio Durandum, quid diserte declarat contrarium sensum.-

7.- Ad secundum: Quamvis probabile sit non manere eadem accidentia numero in genito, quae erant in corrupto, probabilius tamen videtur oppositum quod quantitatem et dispositiones, quae vel ordinantur ad formam geniti vel illi non repugnant, praesertim in sola materia prius inhaerebant. Cajetanus: Sciendum est thomistarum esse opinionem: nullum accidens esse idem numero in genito et corrupto. Sequitur enim hoc ex nostris principiis. Nam si nulla

accidens est subiective in materia et non datur nisi una forma substantialis in composito, impossibile est idem accidens remanere idem numero: migraret siquidem accidens de subiecto in subiectum et esset idem et non idem. (De ente et essentia cap 7 quae. 17). —

8.— Ad tertium: In aliquo genere causae verum est compositum substantiale a unionem formae cum materia esse prius natura quantitate aliisque accidentibus, licet in alio genere, sed posterius. Forma enim substantialis requirit quantitatem in materia, e contrario accidentia habent aliquam dependentiam a composito et a forma, omnis vero dependentia dicit aliquam prioritatem naturae. Praeterea forma supponit quantitatem ut praeparationem materiae cuiusque prioritas reducitur ad causam materialem, quantitas vero pendet a forma mediate in genere causae formalis. Materia et forma invicem a se pendent suntque tum prius tum posterius in suis generibus sine repugnantia;

Similiter se habent quantitas et forma substantialis

9. — Ad quartum: In compositis substantialiter ex materia et forma extensa probabile est habere quantitatem peculiarem unionem cum forma seu in illa immediate recipi partialiter simul cum materia; probabilius tamen est oppositum id est eodem modo philosophandum esse de omnibus substantiis materialibus. —

10. — Suarez: (§ 66) Rationes posterioris sententiae quatenus probant materiam esse proprium subiectum inhaerentiae ac sufficientem causam materialem quantitatis et accidentium, quae per illam inhaerent, non habent ut existimo probabilem solutionem. Unde etiam thomistae, specialiter Astudillo, hoc concedunt etiam in doctrina St. Thomae: dummodo non negetur et formam substantialem simpliciter prius natura praecedere in materia et quantitate et accidentia omnino ab illa pendere. Quatenus autem rationes illae procedunt contra

hanc posteriorem partem et probant eadem accidentia manere in genito, quae erant in corrupto, possunt fortasse probabiliter solvi; sed quia nobis videntur probabilius saltem id persuadere, in eis dissolvendis immorari non libet. —

11. — Iuxta sententiam thomisticam in ipsa materia prima constituitur subiectum radicale quantitatis, forma actuans materiam conditio necessario requisita ut quantitas actu explicetur, compositum vero subiectum quod eorundem accidentium, quia compositum esset ens actu, cuius forma et materia sunt partes. Quaedam accidentia sunt in composito ratione formae, quaedam ratione materiae. St. Thomas: Quia enim partes substantiae sunt materia et forma ideo quaedem accidentia principaliter consequuntur formam et quaedam materiam. (De ente et essentia cap. 7.)

De elementis in mixto.

1.— Convenit inter omnes elementa in mixto non remanere sicuti ante mixtionem. Hydrogenium in aqua latens non manifestat proprietates suas, neque oxygenium, unde videtur sequi, elementa non remenere actu in mixto. Actu remanet id, quod suas proprietates exercet. Debet tamen remanere aliquo modo, qui modus ab antiquis dicebatur in virtute, a modernis neutralizatio. —

2.— Virtus duo dicit: 1) actionem, ejusque principium, sive proximum sive remotum, id est facultatem agendi; 2) essentiam, in qua et ex qua est facultas. Ita in semine bruti vita generati non actu est, sed virtute; in fetu humano vita intellectiva etiam est in virtute, non quidem in virtute ad essentiam, sed in virtute ad agendum. Eodem modo de elementis consentiunt, quod maneant virtute, dissentiunt utrum in virtute ad facultatem et essentiam an vero ad agendum. —

3.— Antiqui ponebant quatuor co

pora simplicia: terram, aquam, ignem, aërem. Albertus Magnus: Omne corpus aut est de numero corporum simplicium aut de numero corporum compositorum: hoc enim per se patet. Non enim potest dici unum corpus esse omne simplex, cum nos de testimonio sensus videamus multa corpora compositorum resolvi in sua componentia. Cum igitur omnis resolutio necessario stet in aliquo primo, quod secundum formam non resolvitur in corpus aliud ulterius oportet dare, quod illud est simplex. (De coelo et mundo L. I trac. 2 cap. 1.) —

4. – Elementa antiquorum non erant simplex quid in sua essentia, sed constabant duobus principiis physicis et distinctis, quamvis intime unitis, quorum alterum, materia erat commune substratum, in quo conveniebant elementa, alterum forma, qua essentialiter (specifice) differebat. Itaque elementa erant principia proxima corporum compositorum, principium remotum erat materia

prima, ex qua ipsa elementa constabant. —

5.— Mixtio dupliciter dicitur: impropria seu mixtio ad sensum (apparens non realis), quando componentia remanent in composito sine alteratione; propria, quando componentia patiuntur intrinsecam alterationem. —

6.— Ipsa alteratio duplex est: propria, quando essentia subiecti, quod alteratum nullo modo manet; impropria quando subiecta, quae miscentur manent aliquo modo non secundum formas, sed secundum formales qualitates, alteratas tamen. Prior dicitur generatio, improp. altera dicitur mixtio proprio sensu. Albertus Mag. patet differentia generationis et mixtionis: quia in generatione contrarium agit ad suum contrarium destruendum, ita quod corruptum contrarium nullo modo salvatur, nec permanet in materia corrupti nec in materia generati; sed in mixtis contrarium non agit ad destructionem omnimodam contrarii. (De gener. et cor.

rupt. Lib. I trac. VI cap. 6.) —

7. — Mixtio definitur: ipsa miscibilium alteratorum unio in unum actum mixti, qui nullius est miscibilium separatim acceptorum (Albertus M. ibid. cap. 11.). Cum autem dupplex sit esse: essentiae et operationis, patet miscibilia quoad primum esse manere, non autem quoad alterum. Albertus Mag: De secundo autem quaesito scilicet qualiter mixtibilia sunt in mixto, attende, quod sicut dicit Avicenna, dupplex est esse elementorum, scilicet primum et secundum. Primum autem est esse, quod habent in operatione qualitatum suarum, quae sunt propriae ipsis et fluunt ab essentiis ipsorum, quae sunt calor frigus, humiditas et siccitas. Dicendum ergo quod esse secundum non manent elementa omnino. Primum autem esse dupppliciter dicitur, liberum et integrum, ut ita dicam et ligatum et partitum. Liberum autem et integrum voco quando ignis vel aliud elementum accipitur

per se sicut sunt elementa in suis spheris et locis naturalibus. Ligatum autem voco, quando non est ab alio alteratum et aliud alterans et divisum in ipsum et econversum ita quod plurimum unius sit cum plurimo alterius, et sic manent elementa in mixto quoad esse primum. Et ideo dicit Aristoteles, quod virtute maneat, virtute, inquam, quae fluunt a tali essentia elementi, quam habent in mixto.-

8.- Albertus Magnus: Si aliquis obiciat quod formae substantiales non diminuuntur et remittuntur eo quod sint simplices respõdet Averroes dicens quod formae substantiales elementorum non completae sunt sicut formae substantiarum perfectarum et ideo possunt intendi et remitti; quia sunt mediae inter formas substantiales et accidentia. Et hanc responsionem ego non approbo vel improbo, sed addo quod elementorum formae duplices sunt scilicet primae et secundae. Primae quidem sunt, a quibus est esse elementi substantiale sive

contrarietate, et secundae sunt, a quibus est esse elementi et actio. (De coelo et mundo trac. II cap. 1.)

9.- Docet igitur Albertus Magnus cum Averrhoe, formas incompletas posse multiplicari in subiecto, quod negat de completis. St. Thomas reicit hanc opinionem, una cum altera, quae contendit remanere elementa quoad proprias formas substantiales quamvis non maneant quoad earum actionem: Sunt quidam dicentes, quod qualitatibus activis et passivis ad medium redactis aliqualiter per alterationem, formae generales elementorum manent in mixto (De gener. et corrp. Lib. I lec. 24). Hanc opinionem dicit impossibilem: impossibile enim est materiam secundum idem diversas formas elementorum suscipere.... Si igitur mixtio fiat remanentibus formis simplicium corporum, sequitur quod non sit mixtio, sed solum ad sensum, quasi iuxta se positis partibus insensibilibus propter parvitatem.-

Est opinio Avicennae, remanere elementa absolutae secundum proprias formas substantiales, modificari tamen seu neutralizari.

10.- St. Thomas: Quidam utriusque rationes vitare volentes in maius inconveniens inciderunt. Ut enim mixtionem

ab elementorum corruptione distinguerent, dixerunt formas substantiales elementorum aliqualiter remanere in mixto. Sed rursus, ne cogerentur mixtionem ad sensum et non secundum veritatem ponere, posuerunt, quod formae elementorum non maneat in mixto secundum summ componentem, sed in quoddam medium reducunt. Dicunt enim, quod formae elementorum suscipiunt magis et minus et habent contrarietatem ad invicem. Et quia haec manifeste repugnant communi opinioni et dictis Aristotelis dicentis in praedicamentis, quod substantiae nihil est contrarium et quod non recipit magis et minus, ulterius procedunt dicentes, quod formae elementorum sunt imperfectissimae, utpote materiae primae propinquiores, unde sunt mediae inter formas substantiales et accidentales. Et sic in quantum accedunt ad naturam formarum accidentalium, magis et minus suscipere possunt. —

11. — St. Thomas ibid: Haec positio multipliciter improbabilis est. Primo,

quia esse aliquid medium inter substantiam et accidens est omnino impossibile: esset enim aliquid medium inter affirmationem et negationem: proprium enim est accidens est in subiecto esse, substantiae vero in subiecto non esse. Formae autem substantiales sunt quidem in materia sed non in subiecto, nam subiectum est hoc aliquid, forma autem substantialis est, quae facit hoc aliquid, non autem praesupponit ipsum..... Si igitur formae substantiales elementorum suscipiunt magis et minus, tam generatio quam corruptio erit motus continuus, quod est impossibile. Nam motus continuus non est nisi in tribus generibus scilicet in quantitate, qualitate et ubi. —

12. — St. Thomas (lect. 24): Oportet igitur alium modum invenire quod veritas mixtionis solvetur et tamen elementa non totaliter corrumpantur, sed aliqualiter in mixto remaneant. Considerandum est igitur, quod qualitates activae et passivae elementorum contrariae sunt ad invicem et (cf. P. I quaest. 76. art. 4 ad 4)

magis et minus recipiunt; ex contra-
riis autem qualitatibus, quae re-
cipiunt magis et minus constitui
potest media qualitas, quae sapit
utriusque extremi naturam sicut
pallidum inter album et nigrum. Sic
igitur remissis excellentiis elementarium
qualitatum constituitur ex eis quae-
dam qualitas media, quae est
propria qualitas corporis mixti,
differens tamen in diversis secundum
diversam mixtionis proportionem;
et haec quidem qualitas est pro-
pria dispositio ad formam corporis
mixti sicut qualitas simplex ad
formam corporis simplicis. Sicut
igitur extrema inveniuntur in medio
quod participat naturam utriusque,
sic qualitates simplicium corporum
inveniuntur in qualitate corporis
mixti. Qualitas autem simplicis
corporis est quid aliud a forma
substantiali ipsius, agit tamen
virtute formae substantialis,
alioquin calor calefaceret tan-
tum, non autem forma substan-
tialis educeretur in actu, cum

nihil agat nisi supra suam speciem.
Sunt igitur virtutes formarum substantialium corporum in corporibus mixtis non actu sed virtute.
Et hoc est quod dicit philosophus:
Non manent igitur elementa actu ut corpus album nec corrumpuntur, nec alterum nec ambo, salvatur enim virtus eorum. —

13. — Ligliara resumit doctrinam S. Thomae (pag 51):
Primo ex qualitatibus miscibilium constituitur quaedam qualitas media, quae est propria qualitas corporis mixti. —
Secundo haec qualitas media est propria dispositio ad formam corporis mixti. —
Tertio qualitas media participat naturam qualitatum miscibilium. —
Quarto aliud est qualitas elementi, aliud vero eiusdem qualitatis forma substantialis. —
Quinto qualitas cum a forma substantiali dimanat, non nisi ab ea habet, quod agere valeat in qualitatem alterius miscibilis, cum qua componit qualitatem mediam et potest producere novam formam substantialis mixti. —

Lect. 25 fin: Quod ad hoc quod sit mixtio necessarium est, quod miscibilia non sint simpliciter corrupta, nec sint simpliciter eadem, quod prius, sunt enim corrupta quantum ad formas, remanent quantum ad virtutem, ut supra ostensum est.

(1º pg.

Sexto manet ergo virtus formae substantialis in qualitate mixti, sed non manet ipsa forma substantialis, sed nova producitur. —

St. Thomas: Formae elementorum manent in mixto non actu sed virtute. Manent enim qualitates propriae elementorum, licet remissae, in quibus est virtus formarum elementarium (P. I quaes. 76. ar. 4 ad 4) —

Idem: dato, quod fieret mixtio neutra natura remaneret salva, miscibilia enim in mixto non salvantur si sit vera mixtio (contra gent. L. IV cap. 35). —

Item: Id quod est commixtum nulli miscibilium est idem specie, differt enim caro a quolibet elementorum specie. (P. III quae. 2 art. 1).

14. — Tigliara conatur ostendere nullam esse oppositionem inter doctrinam St. Thomae et facta chimica (P. 52 et sqq.) deinde resumit principia St. Thomae. —

a) ut habeatur vera et realis mixtio, necesse est, ut miscibilium qualitates sint contrariae, secus enim non potest eorum alteratio explicari

b) Unumquodque miscibilium debet in alterum agere, unumque in alterum dominans transmutari seu qualitates contrariae sunt in mixtione simul activae et passivae, sub diverso respectu. —

St. Thomas: quando potentiae miscibilium adaequantur, tunc unumquodque miscibilium aequaliter (aliqualiter?) dominatur et unumquodque ad alterum tanquam dominans transformatur et unumquodque ex sui ipsius natura secundum aliquod transmutatur (de gener. et corrup. Lib. I lect. 25). —

c) Miscibilium unumquodque amittit id quod est, non transit tamen in alterum, quia hoc alterum etiam patitur a primo, sed tertium quoddam medium producitur. St. Thomas: (ibid) nec tamen uno corrupto aliud generatur, sed fit medium inde commune, quod participat omnium virtutes miscibilium coniunctorum. Aristoteles: Utrumque (miscibile) e sua quidem mutatur natura in id quod vincit ac superat, non

tamen fit alterum, sed inter utrumque medium atque commune. —
Pigliara (p. 53 et 54) contendit tria haec principia thomistarum etiam a chimicis modernis admitti, ita tamen ut de duobus prioribus nulla fiat controversia, tertium ex parte admittatur ex parte negetur: admitti scilicet medium, quod sit virtus nova resultans et participans de virtutibus omnium miscibilium, negari vero medium illud esse novam formam rei generatae, cum per analysin miscibilia integra redeant, tam in virtute, quam in essentia. —
Mihi displicent verba: St. Thomas per illud medium intelligit novam formam rei generatae, licet media illa virtus sit, ceteris formis miscibilium corruptis (p. 54). Videtur enim St Thomas affirmare contrarium dicens (p. 51): quod qualitas media producit novam formam substantialem mixti. Dicit praeterea: immutatio, quae est ad formam substantialem, non fit a forma substantiali immediate, sed mediantibus quali-

tatibus activis et passivis, quae agunt in virtutae formae substantialis (P. III quaes. 87 at. 3 ad 3). —
15: — Scotus non dissentit a thomistis: in secundo destinctio decima quinta (Opera tom. VI P. II p. 753 Lugduni 1639): dico ergo ad quaestionem tenendo oppositum utriusque Averroeis et Avicennae, quod elementa non manent in mixto secundum substantiam sive remissam sicut dicit commentator sive non remissam sicut ponit Avicenna. —
Idem: forma elementaris nata est cum materia constituere suppositum per se subsistens in genere substantiae, ergo si sint plures formae elementares in mixto, quaelibet constitueret suppositum. —
Idem (p. 755): elementa non manent in mixto secundum substantiam nec oportet dicere, quod maneant secundum qualitates suas, sicut nec qualitates extremae manent in medio. Manent ergo in mixto sicut si diceretur, quod sensitiva

et vegetativa manent in intellectu.
Itaque dissentio inter utramque scholam non est circa compositum inorganicum, sed circa hominem. —
Opusculum St Thomae de mixtione elementorum ad magistrum Philippum nihil continet, quod non inveniatur in aliis eius operibus, iisdem plane verbis.